

merita in Ecclesiam Catholicam, quoniam agnomine vellet insigniri, nam Reges Hispaniarum Catholici, Gallorum Christianissimi dicebantur, respondere Serenissimus Rex nulla alia nomenclatura se velle nominari, nisi tantum filium obedientissimum Ecclesie. Refert Vasconcellos de Regibus Portugallie.

**Vasconcel 26.** Hæc fidei generositas semper maxime respicitur in nostris Portugallie Regibus, ut in Serenissimis Principibus Emmanuele, ac Joanne Tertio, qui frequenter scribebant suis gubernatoribus, ac Prærogibus indiarum, ac Brasiliensium, ac aliarum partium, quod potius cogitarent de amplianda, ac dilatanda Christi fide, quam de ejus dominatione amplianda. Frequenterque dicebat Magnificus Joannes Tertius se maxime esse sollicitum in India, Brasilia, caterisque partibus debellandis, ac subjungendis ut ibi omnium colla submitterentur Ecclesie Romanæ quam quod suo obtemperarent imperio, & ut ibi potius victicia Christi trophæa erigerentur, quam quod sua vexilla ibi collocarentur, ut scribit Franciscus de Andrade in chronica de Rege Joanne Tertio part. 2. cap. 15. unde pleno ore, & alta voce nostros Serenissimos Portugallie Reges dicam Ministros, & coadjutores Apostolorum, ait D. Augustinus lib. 3. confessionum cap. 4. Qui Christi fidem seminant per orbem, ministri, ac coadjutores sunt Apostolorum. Tales fuerunt nostri Serenissimi Reges nam in Europa expulsi Mauris in Regnis Portugallie, & Algarbiorum, per ipsos nomen Christi est exaltatum; in Asia sexaginta duos Reges ad fidem Christi subjugarunt: sic & in America, in Regno Brasilia per spatium 700. Leucarum gentes ad fidem Christi adduxerunt: in Africa, Septa, Tangere, Mazagam Christi nomen portaverunt; merito ergo nostri Reges dicendi sunt ministri, ac coadjutores Apostolorum secundum Divum Augustinum.

**27.** Imò nostri Magnifici Reges Lusitani, in expeditione ad Indiam, videntur vocari ab Isaia Angeli veloces, ait Propheta cap. 18. n. 1. *Veterra cymbalo alarum que est trans flumina Ethyopia qui mittit in mare legatos in vasis papyri super aquas. Ite Angeli veloces ad gentem convulsam, & laceratam ad populum terribilem.* De nostris Lusitanis vaticinatur Isaïas, ut exponunt, ac interpretantur Rebellus de obligat. justitie lib. 18. quest. 23. Joannes Lucena in vita Sancti Xaverii lib. 5. c. 21. Peneda de Rebus Salomonis lib. 4. cap. 14. §. Seraphinus Freites de justo imperio Asiatico c. 4. num. 8. latè Malveda lib. 13. de Antichristo c. 12. §. ceterum pagina 131. Solorzanus de jure Indiarum, tom. 1. lib. 1. c. 15. num. 21. ait Propheta, *ve terra.* Forerius legit: *Heu terra* nam *ve* in scriptura non semper significat lamentationem, sed etiam ut notant Sanchez, Cornelius, aliquando est verbum exhortationis ad Lusitanos tanquam exhortans loquitur Propheta, & magna emphasi appellat *terre cymbalo alarum*; seu ut vertunt septuaginta Navium alarum. Chaldaeus; *in navibus de terra*, ac si dicat Propheta *o gens terre Lusitanæ*, valde perita arte navigandi in navibus per mare, quarum vela ventis impulsu sonitum cymbalorum imitantur vel, inter navi-

gandum instar avium volantium perstreperunt, ad hunc modum legunt Symachus: *Sonitus alatus.* Vatablus *innuibrantibus alis.* Pagninus legit *umbra alarum*; quia navis dum extensis velis navigat, quandam vim, ac similitudinem avium alarum refert. Subdit Propheta: *quæ est trans flumina Ethyopia;* nempe in valle remota, ac distanti regione, *mittit legatos in mare.* Dei impulsu, ac nutu in vasis papyri. Talis enim dicebatur materia, quæ erat species quadam de junco, ex qua naves olim fiebant, ut tradunt Herodot. lib. 2. Plineus lib. 6. cap. 22. & lib. 7. cap. 53. Strabus lib. 17. Solonius c. 5. & 6. & sic canit Lucanus lib. 4.

*Sic cum tenet omnia Nilus.*

*Concertitur bibula Memphis cymba papyro,*  
Ait propheta *Mittit legatos in mare.* Ipsos nempe prædicatores Evangelicos, quos exhortans Isaïas ait, *Ite Angeli veloces.* Vos nempe prædicatores Lusitani, Ite tanquam Angeli veloces ad concalcandum tam longum maris spatium. Et cum ait, *mittit legatos in mare:* ad Reges Lusitanie dirigit sermonem, qui ipsos prædicatores, tanquam Angeli superiores mitebant; Et ubi nostra vulgata habet *mittit in vasis papyri* Septuaginta, & Regia legunt *Epistolas papyraceas* quas nostri Reges mitebant ad Gubernatores Indiarum, ac Brasiliensium, ad eradendam idololatriam, & ad plantandam, dilatandam, ac propagandam Christi fidem. Et subdit text. *Ad gentem convulsam, & dilaceratam, & populum terribilem.* Vatablus in scholiis, id est indios, & quamvis Propheta eos non nominat, moribus tamen depingit. *Ad gentem convulsam,* Pagninus. *ad gentem explicatam,* ut pote omni dictamine, ac judicio naturali nam bruta animalia, ut elephantes, simias pro Deo adorabant; *dilaceratam,* Pagninus. *gentem lineatam,* Forerius *gentem lineæ,* nam ob calorem terre, veluti lacerata veste, & lineæ, tanquam nudo corpore incedunt. *Populum terribilem.* Seu ut legunt septuaginta *populum pessimum.* Syriacus, *populum fœdum;* nam ita ille populus erat. terribilis, pessimus ac fœdus, ut humanas carnes manducarent, humanum sanguinem biberent, & illis pascerentur. Sed lux Evangelica exorta per prædicatores Lusitanos, ita emutatur, ut qui erant demonum mancipia, fiant filii Dei *Jesu Christi*; ac hæredes Regni cælorum ex quibus quam plurimi præclarissimi, ac sanctissimi viri prodierunt: multi in clycto, ac illustri martyrio per varia tormentorum genera Laureati, alii in omni virtutum genere mirificè se exercentes floruerunt. Ita ut de quibusdam faciat mentionem Martyrologium Romanum, ac aliqua Sacra Religiones de eis festum celebrant.

Altram manum dexteram habuerunt nostri Serenissimi Reges Portugallie erga suum Regnum; illud Deo favente ex potestate Sarracenorum magnis partis victoriis comparaverunt, præclaris triumphis ab invadentibus hostibus illud custodierunt, valde gloriose debellantes omnes ejus adversarios indeque egressi victicia Lusitanica trophæa, per omnes quatuor orbis partes portaverunt, ac gloriose extulerunt. Unde Joannes Freite insignis Poëta

Symach. Varabl. Pagni.  
Herodor. Plineus. Strabus. Solonius. Lucanus.  
Septuag. Regia.  
Pagnin.  
Pagnin. Forerius.  
Septag. Syriacus.  
28.

Poëta loquens cum Lusitania obrinens quatuor orbis partes sic canit.

*Si plures essent potuissent vincere plures.*  
*Non capitur brevibus gloria tanta locis.*

Et in his, ac cæteris omnibus summam benignitatem, ac clementiam erga suos Vassallos declarantes, ac ostendentes, ita ut diceret Rex Joannes III. quod suos clientes, non ut subditos, sed ut filios charissimos, semper habebat in corde, ut testatur Andrade de rebus Joannis III. Hinc merito in ejus sepulchro inter cætera ejus magna legitur, quod erat dictas *Pater patria*, tantoque amore, tantoque flagrabantur nostri Serenissimi Reges erga suam patriam, erga que semper Regum cumque istud Portugallie non esset multum amplum, nec dilatarum, timentes ne pietate fidelium omnia devolverentur ad Ecclesiam.

**29.** Serenissimus Rex Alphonfus secundus condidit legem anno 1220. ne Ecclesia possit denovo emere aliquas possessiones; hoc tunc lex continebat, tunc Honorius III. Summus Pontifex per Epistolam suam paternaliter die 4. Januarii 1221. admonet Regem ut referatur in Monarchia Lusitanæ part. 4. lib. 13. cap. 23. Pius Rex aliquorum ministrorum persuasione non acquievit, ut supponit Summus Pontifex, & ideo Honorius idem Tertius die 22. Decembris ejusdem anni 1221. per suam bullam legem reprobat, cum alio brevi Illustris. Regi haberetur in Archivo Regio, vulgo Torre do Tombo lib. 1. Bullarum fol. 10. & ad longum referretur in Monarchia Lusitana, part. 4. c. 25. sequenti cap. 26. narratur ejus mors; Tunc ut piissimus, ac Christianissimus Rex desistens ab omnibus ac omni executione legis, se subiciens, ac submitte Romano Pontifici, in suoque Testamento multa largitur amplamunera sedis Apostolicæ, D. Jacobo Compostella, aliisque multis locis piis, ut constat ex ejus testamento citato cap. 16.

**30.** Mortuo Rege Alphonso successit in Regnum filius ejus Major natus Dominus Sancius secundus Capellus dictus, quia ut scribit Andrade de Rescende cum esset puer, & gravi morbo laboraret, indutus fuit quodam habitu regulari, & cum clavem Regni teneret, primo suo anno compositionem fecit, cum Illustrissimo D. Stephano Archiepiscopo Bracharenfi super res Ecclesiasticas, restituens omnia Ecclesiis, ut constat ex quadam scriptura, quam refert Illustrissimus D. Rodericus à Cunha Archiepiscopus Bracharenf. & postea Ulyssipponen. in Catalogo Archiepiscoporum. Sedis Bracharen. tom. 2. cap. 23. num. 1. Sed non perseveraverit, eique multum restitit, ac se opposuit D. Stephan. Archiepiscop. Brachar. quem ob suas præclaras virtutes Honorius III. appellavit *Nobile Ecclesie membrum*, ut refertur in citato Catalogo Brachar. cap. 22. & cum nihil proficeret, certiores fecit Summum Pontificem Gregorium Nonum, qui paternaliter admonuit Regem, & per suam bullam dat magnam jurisdictionem D. Stephano. Bulla incipit: *Venerabili Fratri Archiepiscopo* datum anno 1238. die 15. Aprilis habetur manu Regia tom. 1. fol. 156. num. 15 & cum Sancius aures non dedisset, hæc exiit, una ex causis, ob quam Innocentius IV. anno 1245. die 14. Julii de Concilio Emi-

nentissimorum Cardinalium, cum depositus à Regno illiusque regimen tradidit fratri suo Alphonso comiti Bolonie, ut refertur cap. grandi de supplicanda negligentia Prælatorum in 6. & circa hanc depositionem Regis Sancii, aliam bullam edidit ipse Innocentius IV. & incipit *Dilectis filiis Baronibus*, servatur in Archivo Ecclesie Bracharenfis, eamque adducit Fragosus de potestate Ecclesie lib. 3. cap. 22. Monarchia Lusitana tom. 4. in Appendice fol. 276.

Creatus Serenissimus Alphonfus Regni gubernator, ac Regni futurus successor, cum Sancius ejus frater non habuisset filium Parisiis in publico consistorio multis astantibus testibus multas capitulationes juramento firmavit die 6. Septembris anno 1245. quæ capitulationes referuntur manu Regia, tom. 1. fol. 207. Monarchia Lusit. tom. 4. lib. 14. c. 27. & in sum mario, seu Appendice fol. 284. & incipiunt *Ego Alphonfus comes Bolonie*; & inter cætera continebatur, quod bona ablata ab Ecclesia, Ecclesiasticisque personis restitueret, & ab omni gravamine ac injuria custodiret, & quod non impediret, quod Ecclesia alia bona denovo acquireret.

Tamen mortuo Sancio Rege Toleti, cum ipse Alphonfus creatus esset Rex Tertius nomine, aliquorum iniquorum consilio instigante promissioni non stetit, sed legem jam revocatam iterum ad praxim reduxit, contra Ecclesie libertatem. Tunc Dominus Archiepisc. Brachar. D. Marchinus Episcopus D. Egas Conimbr. Episcopus Agitensis D. Vincentius, Episcopus Viennesis D. Marinus, & Episcopus Eboensis, ac alii Prælati hujus Regni convenerunt ad Pontificem Gregorium X. ut describitur à D. à Cunha in Catalogo Archiepisc. Brachar. part. 2. cap. 31. n. 7. Tunc Pontifex paternali benevolentia misit quandam bullam Alphonso Tertio Regi datam anno 1272. die 28. Maii & incipit *Tam grandis honoris*. Admonens eum de sua obligatione reducens ei in memoriam juramentum præstitum. Bullam refert Ezovius in suis Annalibus tom. 13. ad citatum annum 1272.

Cum Rex admonitionibus Pontificis non acquiesce et Gregorius X. Summus Pontifex pro defensione Ecclesie concessit quandam bullam, & incipit *ex debito Pastoralis officii*. Datam Romæ die 3. Septembris anno 1275. habetur apud Monarchiam Lusitanæ tom. 4. lib. 15. cap. 41. post datum tale diploma, antequam in Portugallia publicaretur, mortuus est ipse Summus Pontifex Gregorius, & cum noster Lusitanus, ac Ulyssipponensis Joannes XXI. ad Summum Pontificatum esse elevatus amore patriæ maxime desideravit, ut Res Portugallie componerentur; misit nuncio Apostolico Fr. Nicolao Ordinis Minorum Bullam Gregorii X. in tota Portugallia publicavit, ut referatur in Monarchia Lusitana lib. 15. c. 42.

Cum ergo Rex Alphonfus pervenisset ad mortem multis editis penitentis ac contritionis signis, ostendensque summam obedientiam erga sanctam sedem Apostolicam vchementissime recommendavit filio suo Dionysio Regni successori concordiam, pacem, compositionemque cum Romano Pontifice; multaque, & amplissima dona largitus est multis Ecclesiis

Joan. III.  
Alphonfus. Secundus.  
Honor. III.  
Tome do Tombo Monarch.  
30.  
D. Stephan.  
A Cunha.  
Gregor. IX.

C. Grandi.  
Innoc. IV.  
Fragosus. Monarch. Lusitana.  
31.  
Manu Reg. Monarchia.  
32.  
Gregorius.  
A Cunha.  
Ezovius.  
Gregor. X.  
Monarch. Lusit.  
34.

Ecclesiis, hospitalibus, ac aliis piis locis, multasque, & magnas elemosinas per pauperes mandavit distribui, multaque anniversaria, ac magnum numerum Missarum pro anima sua fieri decrevit, quod totum constat ex ejus testamento, quod refertur in Monarchia Lusitana 4. part. fol. 270.

Monarch. Lusit.

35.

Sciunt, sciunt, & agnoscant Auctores extranei summam pietatem, ac obedientiam nostrorum Regu Portugallia in sanctam Ecclesiam Romanam, quod quando faciebant leges, & statuta, prout intelligebant necessaria esse ad conservationem suorum Regnorum; tamen in fine suorum legum apponebant, quod si aliquid in suis legibus esset contrarium Decreto Summorum Pontificum tanquam non leges haberentur; ut constat ex quodam libro parvo fol. 25. cujus titulus est foral antiquo de sanctarem: habetur in Archivio Regio, vulgo Torre do Tombo refertur in Monarchia Lusitana, 5. part. inter gesta Regis Dionisii lib. 16. c. 63. §. Doque elle. Quod ut maxime notatu dignissimum hic appolui, quae si vidissent Bzovius ad annum 1222. & Fumafius in sua Republica lib. 6. cap. 41. non tam indebitè ac irreverenter loquerentur de Serenissimo Principe, tam pio, ac devoto in Ecclesiam.

Foral. de Sanctarem.

Monarch.

Bzovius. Fumafius.

36.

Mortuo Alphonso successit in Regnum filius ejus major nato Dominus Dionysius, qui statim omni affectu, totisque viribus apposuit ad concordiam super hanc rem faciendam cum sede Apostolica, & cum in Roma jam adessent procuratores status Ecclesiastici D. Fr. Tellus Archiepiscopus Brachvaren. D. Americus Episcopus Conimbricens. D. Fr. Bartholomaeus de Sylvest. D. Ioannes de Lamago. Pro parte Regis fuerunt D. Martinus cantor major, id est chantre Eborensis, D. Ioannes Martinus canonicus Conimbricensis, designatus Episcopus Vlyssippon. tunc alta, & divina providentia Summus Pontifex Dei Ecclesiae erat Nicolaus IV. qui ut magnus Pater summo studio exoptabat pacem, ac concordiam in hac re, idque commisit quatuor Cardinalibus; quatuorque conditionibus appositis ut constat, ex prima, & secunda bulla. Prima conditio. Quod Procuratores Ecclesiastici, ac Regis convenirent inter se.

Bulla prima & secunda.

37.

Quod totum negotium determinatum; & absolutum est à sua sanctitate, per novem bullas Apostolicas, quae habentur in Archivio Regio lib. 5. fol. 79. Regis Dionysii, & eas apud me habeo transumptas ex ipso Archivio Romano Vaticano; & praecipuam bullam hujus concordatae ait Gabriel Pereira manu Regia, tom. 1. fol. 223. quod eam non potuit in lingua Latina invenire; tamen, ut scribit Doctor Franciscus Brandam 5. part. Monarchiae Lusitanae, lib. 16. cap. 63. in Archivio Regio est in

Pereira.

Monarch. Lusit.

lingua Latina, & etiam in Archivio sanctae Sedis Vlyssippon. fol. 297. & 298. & hac concordata facta est, die 6. Januarii anno 1289. secundo anno Pontificatus Nicolai IV.

38.

Ipsi articuli facti sunt ad evitanda aliqua gravamina, quae Ecclesiastici pariebantur, ut notat Illustrissimus Rodericus à Cunha in C. A. Cunha, dialogo Brachvar. part. 2. cap. 39. num. 4. fol. 125. Ipsos quadraginta articulos ad longum referunt Gabriel Pereira proxime citatus, Bzovius Pereira ad annum 1289. Vvading. ad annum Religionis 82. nu. 20. juxta compositionem praedictae concordatae Martinus Pires Cantor major, id est Chantre Eborensis, Regis nomine, praedictam concordatam acceptavit, sub juramento observandam, quod etiam magna animi alacritate, ac promptissima voluntate praestitit D. Rex Dionysius sub juramento coram Regni magnatibus, ut ad longum refertur in Monarchia Lusitana citata part. lib. 15. c. 63. Et postea, cum aliqua dubitationes pullolarent, facti sunt undecim articuli, de quibus multa dixi in nostro citato tractatu praecipue, §. 3.4. ac 5. factis, & publicatis praedictis articulis, facta est magna pax, ac tranquillitas inter Regem, ac Sedem Apostolicam, retenta Ecclesiae auctoritate, praemiunitia, ac libertate.

39.

Postea vero tempore labente ab anno 1334. usque ad annum 1639. dura tempestas in hac re exorta est, & multa à fidelibus relicta Ecclesiae auferebantur. Tunc sanctissimus Dominus Urbanus III. per suum Collectorem Illustrissimum Dom. Alexandrum Castracani Vlyssipponem Virum, sanè Apostolicum, & per Illustrissimum Dom. Laurentium Campegi Marditi Nantium Apostolicum, multa paterno affectu exoptavit componere, cujus rei coram Deo, ego testis sum, cum ibi essem Procurator Apostolicus, inde ipse Sanctissimus Dominus Urbanus VIII. dedit quoddam diploma valde rigidum, ac severum in hac, & incipit, Quamvis juxta canonicas sanctiones. Datum Romae die 5. Julii anno 1638. in quo sua sanctitas motu proprio, ac de certa scientia, plenitudine potestatis revocat, ac annullat, cassat, ac irritos facit, ac reddit omnes, & singulos actus, & sententias, & processus factos super hanc rem multis impositis penis, quod diploma fuit publicatum mense Decembris ejusdem anni, & ejus transumptum habeo apud me.

40.

Et cum tota civitas Vlyssipponensis per fere quindecim menses magno dolore fidelium, hac de causa rigido interdicto, laboraret, Deus benignus, & Clemens respiciens, & videns Regnum Portugalliae, juxta promissum factum primo, ac Serenissimo Regi Alphonso Henriquez prima die Decembris in sabbato anni 1640. magna Regni gratulatione, ac omnium gaudio acclamatus Rex noster legitimus Ioannes IV. & cum hujus rei nuntium accepisset in Villa Viçosa maxime notatu dignissimum est, quod primum ejus Decretum, primum ejus verbum fuit, quod ipse desistebat ab executione legis contra libertatem Ecclesiae, quod promptissime obediens se subiciebat voluntati, ac dispositioni Romani Pontificis, quo usque cum eo de hac re ageretur, ac concordia fieret, quod veluti ebiberat

Alphonsus.

Rex Ioannes.



RESOLUTIO XLII.

De Miraculis.

QUESTIO PRIMA.

Quid sit Miraculum, & quid ad ejus naturam pertineat?

SUMMARIUM.

- 1 Unde nomen Miraculi derivatur.
- 2 Miraculi definitio.
- 3 Miraculum est opus solius Dei, signum, ac sigillum divinitatis.
- 4 Miraculum est Dei testimonium, loquela, ac pignus.
- 5 Miraculum est opus rarum, & extraordinarium.
- 6 Miraculum est supra virtutem omnium naturalium causarum.
- 7 Ad excellentiam miraculi pertinet, quod fiat celeriter, ac confestim.
- 8 Miracula non semper sunt celeriter, sed aliquando paulatim, ac sensim.
- 9 In miraculis maxime consideranda perseverantia in effectu.
- 10 Explicatur tempus quoad vocem Josue Solentur ad evidentiam miraculi.
- 11 Ad evidentiam miraculi requiritur multiplicatio actuum.
- 12 Sanitas morbi dum quis B. Virginem, verbi gratia, deprecatur hic & nunc miraculosa reputatur.
- 13 Duplex est miraculum, unum secundum esse alterum secundum dici.

**A** NOMINE miraculi incipiamus. Miraculum deducitur à verbo Graeco *miraculum*, & etiam fuit à verbo Hebraico *Tamiraculum*, & significat admirari cum stupore, ac vehementia, nam cum miraculum sit opus extraordinarium super omnem vim, ac concursum naturae creatae, inde magnam admirationem, & stuporem inducit; unde ex miraculis, quae Christus D. faciebat frequenter in turbis, ac populo multa erat admiratio. *Matth. 8. Matth. 9. Marc. 1. Luc. 9.*

Sic definitur miraculum, est opus extraordinarium, & rarum praeter legem ordinariam Dei, & supra omnem virtutem causarum naturalium. Hae definitio desumitur ex D. Thom. Thoma part. 1. quest. 105. art. 7. & 8. lib. 3. contra gentes c. 101. & ex D. Augustino lib. 4. de Trinitate. cap. 4. & 5. & lib. 26. contra Faustum c. 3. & sequentibus, & lib. 6. de Genesi. ad liter. c. 13. Hinc clarè patet quanta sit ejus excellentia, ac majestas.

Opus est solius Dei, ut multoties canit Regius Vates Psalm. 71. num. 18. *Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia solus*, & Psalm. 135. num. 4. *Qui facit mirabilia solus*, & Psalm. 85. num. 10. *Quoniam magnus es tu faciens mirabilia: tu es Deus solus*, D. Augustinus

Hebr. 10.

Psalm. 39.

D. Anselm.

41.

42.

42.

ebiberat à supremo omnium capite Christo Jesu, de quo ait Paulus ad Hebraeos 10. n. 5. & 10. *Ingressus mundum dicit: in capite libri scriptum est de me; ut faciam Deus voluntatem tuam*. Ex Psalm. 39. num. 7. Ubi communiter Patres notant, cum primum Christus Dominus ingressus est in mundum in utero Virginis primum ejus verbum in capite libri ad suum Aeternum Patrem, extitit summae obedientiae erga eum, ut faciam Deus voluntatem tuam, ut semper haberet uniformem, ac concordatam voluntatem cum eo. D. Anselmus ad citatum locum Pauli sic ait in persona Christi. *Quia voluntatem meam, quam juxta naturam humanitatis habeo, divinae voluntati tuae prorsus concordem feci*. Hoc divinum, & sublime assatum Deo inspirante, hausit Serenissimus noster Rex Joannes IV. cum primum in Regnum est ingressus, ad illum manum admovit, ut profunde obediens, voluntatem suam concordem faceret cum Christi vicario, ut ab illo in nullo discreparet.

Cum pervenisset Decretum Regis ad Vlyssipponem, Illustrissimus Dominus Rodericus à Cunha, congregatis Doctissimis Viris hujus civitatis Vlyssipponensis, inter quos etiam omnium minimus ergo adfui, lectum est Regis Decretum; & cum tota civitas interdito opprimebatur ob executionem legis, contra Ecclesiae libertatem, à qua executione Serenissimus Rex desistebat, se in omnibus subjiciens Romano Pontifici, Resolutum fuit interdictum jam cessasse, & jam ablatum esse declarandum, ex illo certo, & communi principio Theologorum, quod cessante causa censura, cessat & ipsa censura, & ita sequenti die 6. Decembris festivitate sancti Nicolai suppliciter, & applausu, cum in illa felicissima die Serenissimus Rex Joannes IV. exceptus sit communi omnium letitia, ac gratulatione in hac civitate, postea Hieronimus Barallim ex Regis licentia exercens suum officium etiam auctoritate Apostolica declaravit interdictum cessasse, & esse ablatum.

Et ad majorem hujus rei firmitatem ipsa met Rex Joannes IV. Decretum dedit regia manu sua firmatum die 2. Januarii 1651. quo praecipit omnibus suis ministris, iudicibus, ac Senatoribus Regis, ut in his, quae pertinebant ad capellas, ac bona Ecclesiarum nullo modo se audeant intromittere, aut aliquid innovare, quoad usque de his rebus ultima fiat resolutio cum sancta sede Apostolica; ecce quanto jure, & optima ratione Serenissimus Rex Sebastianus dixit, quod Reges Portugalliae nulla alia nomenclatura insigniri volebant, nisi tantum ut filii obedientissimi Ecclesiae dicerentur.